

hoc modo: *Pecunia bonum est, propterea quod ea maxime vitam beatam efficit*; aut si infirma, ut Plautus:

Amicum castigare, ob meritam noxiam,

Immune est facinus; verum in aetate utile

Et conducibile: nam ego amicum hodie meum

Concastigabo pro commerita noxia.

Aut eadem, hoc modo: *Maximum malum est avaritia; multos enim magnis incommodis afficit pecuniae cupiditas*; aut parum idonea, hoc modo: *Maximum bonum est amicitia; plurimae enim delectationes sunt in amicitia*.

Aul. Gell. lib. V. c. 10. Inter vitia argumentorum longe maximum esse vitium videtur eorum, quae ἀντιστρέφοντα Graeci dicunt; ea quidam ex nostris non, Hercules, nimis absurde *reciproca* appellaverunt. Id autem vitium accidit hoc modo. Quum argumentum propositum referri contra convertique potest in eum, a quo dictum est; et utrumque pariter valet: quale est pervulgatum illud, quo Protagoram sophistarum acerrimum usum esse ferunt adversus Evathlum discipulum suum. Lis namque inter eos et controversia super pacta mercede haec fuit: Evathlus, adolescens dives, eloquentiae discendae causarumque orandi cupiens fuit. Is in disciplinam Protagorae se dedit: daturumque promisit mercedem grandem pecuniam, quantam Protagoras petiverat; dimidiumque ejus jam tunc dedit statim prius quam disceret: pepigitque, ut reliquum dimidium daret, quo primo die causam apud iudices orasset et vicisset. Postea quum diutule auditor assectatorque Protagorae fuisset; et in studio quidem facundiae abunde promovisset, causas tamen non reciperet; tempusque jam longum transcurreret, et facere id videretur, ne reliquum mercedis daret: capit consilium Protagoras, ut tum existimabat, astutum. Petere instituit ex pacto mercedem; litem cum Evathlo contestatur. Et quum ad iudices, conjiciendae consistendaeque causae gratia, venissent, tum Protagoras sic exorsus est: Disce, inquit, stultissime adolescens, utroque